

Mendacium A

Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium.

Augustinus super Iohannem.

Mendacium B

Cum humilitatis causa mentiris si non eras peccator antequam mentireris, menciendo efficeris quod evitaveras.

Augustinus de verbis apostolorum.

Mendacium C

Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sunt mendacia quedam pro salute vel commodo alicuius non malicia sed benignitate, ut obstretrices que dixerunt pro filiis Israhel falsum Pharaoni, hec autem mendacia non re sed in dolo laudantur et qui sic menciuntur merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Est etiam mendacium ioco quod non fallit, scit enim cui dicitur causa ioci dici, et hec duo genera non sunt sine culpa sed non cum magna. Perfectis non convenit mentiri nec pro temporali vita, cuius morte sua vel alterius occiditur anima, licet autem si non falsum dicere, verum tacere, ut si quis non vult hominem ad mortem perdere verum taceat sed non falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidat.

Augustinus super Psalmum 5.

Mendacium D

Quicquid figurate fit aut dicitur non est mendacium.

Augustinus [super] ad Galatas.

Mendacium E

In quibus rebus nichil interest ad capescendum regnum Dei, utrum credatur an non, utrum vera putentur an falsa, in his errare et aliud pro alio putare non est arbitrandum esse peccatum, aut si est minimum est atque levissimum.

Augustinus in encheridion.

Mendacium F

Aliud est mentiri, aliud est verum occultare, sicut aliud est falsum dicere, aliud est verum tacere, ut si quis non velit ad mortem hominem prodere, paratus esse debet verum occultare non falsum dicere ut neque prodeat neque menciatur, neque occidat animam suam pro corpore alterius.

Augustinus super Psalmum 5.

Mendacium G

Michi autem absurdum videtur omne mendacium esse peccatum. Sed multum interest quo animo et de quibus rebus quisque menciatur. Non enim ita peccat qui consolandi sicut qui nocendi voluntate menciatur, nec tantum ille nocet qui viatorem menciendo in adversum iter mittit, quantum is qui viam vite mendacio fallentem depravat.

Augustinus in encheridion.

Mendacium H

Aliud est iurare falsum, aliud iurare in dolo. Non enim omnis qui aliter facturus est quam promittit in dolo iurat. Licet enim apostolus Corinthiis promitteret, veniam ad vos, non tamen in dolo iuravit aut mendaciter promisit. Ille autem in dolo iurat aut mendaciter promittit, in cuius mente est non sic se facturum ut promittit. Ille autem qui promittit falsum quod putat verum, nec in dolo iurat, nec mendaciter promittit.

Hieronymus super Hieremiam libro 2.

Mendacium I

Nonnulli obstetricum mendacium conantur asserere non esse peccatum maxime quia illis micientibus scriptum est, quod edificavit eis Dominus domos, in qua magis recompensacione cognoscitur quam mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces que eis in eterna potuit vita retribui premissa culpa mendacii in terrena est recompensacione declinata.

Gregorius super illum locum.

Mendacium K

Non numquam peius est mendacium meditari quam loqui. Nam loqui plerumque precipitationis est, meditari vero studiose pravitatis.

Gregorius libro 8. moralium.

Mendacium L

Mendacii quoque genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita alicuius per eorum fallaciam defendatur ne sue anime noceant, dum prestari nituntur carni aliene, quamquam hoc peccati genus facilime credamus relaxari. Nam si quelibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abstergitur quod mater boni operis ipsa pietas admittitur.

Gregorius ibidem.

Mendacium M

Aliud est sub incerto hoc vel illud opinando sentire aliud est temere affirmare quod nescias. Est enim qui dubie profert mendacium non mencitur, et est qui veritatem quam nescit affirmat et mencitur, nam et ille non quidem quod non est esse sed se quod credit credere dicit et verum dicit, et si hoc verum non sit quod credit. Is cum se certum unde certus non est dicit, verum non dicit, eciam se verum sit de quo asserit.

Bernardus super Cantica sermone 18.

Mendacium N

Concessum est diabolo interdum vera dicere ut mendacium suum rara veritate commendet.

Chrysostomus super Mattheum.

Mendacium O

Mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi menciuntur sicut ait Psalmista: Mentita est iniquitas sibi.

Chrysostomus super Mattheum 21.

Mendacium P

Nec artificioso ingenio nec simplici verbo oportet decipere quemquam quia quolibet modo menciatur quis offendit.

Isidorus de conflictu viciorum et virtutum.

Mendacium Q

Quidam in suis mendaciis graciosi sunt, quidam semper laborant esse veridici et mendacissimi reputatur.

Petrus Blesensis.

Mendacium R

Mendacium est falsa verborum prolacio cum intencione fallendi.

Tullius.